

**Dissertatio medica, de partibus corporis adustis, earumque curatione /
Auctore Edvardo Kentish.**

Contributors

Kentish, Edward, -1832.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Jacobus Pillans et filii, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xrsdgknr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



JOANNI RAMSAY, M. D.

INGENII ACUMINE,

DOCTRINA VARIA,

ERGA GENUS HUMANUM BENEVOLENTIA,

OMNIBUSQUE ARTIBUS BONIS,

QUÆ GENEROSUM POPULO SECERNUNT,


INSIGNI:

HOCCE OPUSCULUM,

OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM QUALECUNQUE,

D. D. CQUE,

EDVARDUS KENTISH.



JOHANNES RAYMOND

INSTITUTION

DOCTRINA

REGA OMNIBUS HOMINIBUS BENEFICENTIA

CHRISTIANE VIRTUTIS DOMUS

QUE CANTONIS FORO RESIDET


IN OMNIBUS

ROCE ET VECUM

DE TRAVANTIA TANTUMQUE QUALITATE

D. R. C. 1862

ADVANTUS KENTISII



DISSERTATIO MEDICA,

DE

ADUSTIS CORPORIS PARTIBUS,
EARUMQUE CURATIONE.




DISSERTATIO MEDICA
DE

ACUTIS CORPUS PARTIBUS
AFFECTU CURIATIONE

214

DISSERTATIO MEDICA,



DE

PARTIBUS CORPORIS ADUSTIS,

EARUMQUE CURATIONE.

AUCTORE EDVARDO KENTISH, M. D.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JACOBUS PILLANS ET FILII.

1800.



DISSERTATIO MEDICA

DE

PARALYSIS CORPORIS ADUSTRI

ET ALIQUOT CURATIO

AVCTORE EDUARDO KENTNER M.D.

EDINBURGH:

EXCUBANT JACOBI WILLIAMS ET FILII

1800.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ADUSTIS CORPORIS PARTIBUS,
EARUMQUE CURATIONE.

AUCTORE EDVARDO KENTISH.

HOMINES ex tempore, quo primum sunt
creati, ignis effectibus, cum salutaribus,
tum perniciosis, semper patuere. Inter varia
remedia, diversis temporibus ad dolorem sub-
levandum excogitata, variæ methodi, quibus
adustæ corporis partes tractari debeant, in
medium prolatae sunt. Verum earum enu-
meratio æque futilis inveniretur, ac naviga-
tionis

tionis ante repertam *pyxidem nauticam* historia, quæ prolixis narrationibus de oris legendis constabat, regulasque tradebat, dum Scyllam vitabas, ne Charybdi nimis appropinquare. Sed postquam *magnetis* natura innotuit, ars navigandi penitus mutata est. Pari modo, quum principium justum in medicina sit repertum, *praxis empirica*, per multa secula utcunque jactata, quam primum exulare debet. In hocce tentamine pro virili explicare conabor, principium, unde in hujusmodi malis curationis, quam adhibere soleo, felicitas pendet; quamque justam ac efficacem esse, complurium in hac insula magni nominis chirurgorum testimonium argumento est.

PRIUS autem quam propositum ingrediar,
quasdam

quasdam observationes, *de nonnullis caloris frigorisque effectuum usitatorum*, præmittere videtur.

Calor atque *frigus*, verba quibus homines vulgo utuntur, adeo incerta sunt, ut vix ullam *ideam* accuratam præbeant; quoniam hæc solum pendet a variis sensationibus, quibus identidem afficimur, eademque res tam calida quam frigida eodem tempore sentiri potest. Sic si duo homines, (quorum alter e balneo frigido, ad gradum quadragesimum *thermometri Farenheitiani*, alter vero e balneo calido, ad gradum centesimum et duodecimum, modo emerfit), vitro, cujus calorem indicat gradus septuagesimus ejusdem *thermometri*, manum admovent; sensationes eorum a sibi invicem valde discrepare invenientur:

ille enim caloris, hic autem frigoris, sensum percipiet. Præterea; frigus nihil aliud nisi calor imminutus plerumque habetur: quoniam frigus *positivum*, vel omnis caloris absentia, nusquam hætenus fuit detectum. Hinc optimum consilium mihi videtur, minimi caloris gradus, i. e. *frigoris*, effectus explorare; sic enim maximi caloris gradus effectus melius evolvere poterimus. Verum in hujusmodi investigatione solum attentionem sibi vindicant ii caloris gradus thermometri, supra infraque congelationis punctum, qui principium vitale animalis, eorum actioni subiecti, extinguere solent.

IMPRIMIS ;

IMPRIMIS; DE CALORIS INFRA CONGELATIONIS
 GRADUM EFFECTIBUS, QUI FRIGORIS
 EFFECTUS VULGO DUCUNTUR.

UNIVERSA natura animata quadam sese tuendi potestate gaudet, quæ, ubi a causis noxiis laceffitur, secundum leges animalis ea instructi agit. Hanc potestatem plantæ pariter atque animalia possident; namque complures gradus infra congelationis punctum existere possunt: verum, calore post tempestatem humidam subito ablato, fluida in earum vasis contenta potestatem suam perdunt, et secundum leges materie inanimatæ congelantur. Hinc, quando gelu intensum occurrit, plurimæ plantæ arboreeque moriuntur; atque hæ fane interdum magno
 strepitu

strepitu rumpuntur. Animalia autem vi adhuc magis insigni sese tuendi instruuntur; hæc enim vis existit in quibusdam animalibus classium inferiorum, nimirum, in vermi terreno, quum aëris ambientis frigus puncto congelationis aliquanto inferius sit, quamvis ipsius animalis calor infra illum gradum non descenderit. Verum, quum ad hunc gradum aliquamdiu manserit, calor subito imminuitur, fatifcente vitæ vi, animal moritur, atque tunc aëris ambientis temperiem statim sibi assumit. Quo magis perfectum est animal, eo majore hujusmodi vi gaudet; et, quamvis homines a natura non æque bene tecti, ac nonnulla alia animalia, videantur, tamen quum animo perpendamus beneficia ab experientia derivata, commercii civilis incrementum, variaque artificia, quorum ope sensationes minus gratæ arcentur;

centur; non causa est cur ovibus lanam, vel vulpibus pellem villosam, invideamus. Sed, quamvis homines ab experientia auxilia hujusmodi derivent, est ubi subitæ caloris immutationi obnoxii evadunt: atque hoc in Siberia, in Helvetia, demumque in Canada, frequentissime usuvenit. Exempla traduntur, ubi barbari homines, qui contra jus fasque Americam in suam potestatem redegerant, ineunte seculo decimo sexto, ut longas ambages circa montes Peruvianos vitarent, *auri sacra fame* adducti, Antifonam, montem altissimum, superare frustra moliti, in ejus summo perierunt præ frigore, adversus cujus effectus nec auri desiderium infatiabile, nec animi adfectus inde pendentes, eos defendere potuerunt. Dehinc centum amplius annos in eodem statu, quo quisque extinctus erat, reperti sunt.

IN Helvetia dum homines peregrinantur, præsertim vero si equitant, sæpe eos adoritur magna ad somnum proclivitas, cui si non resistunt, torpori exitioso cito succumbunt. Hanc mortis formam, ut ex iis, qui eam ægre evaserunt, accepimus, nullus dolor comitatur. Corporis superficies motum suum, seu vitam, primum perdit. In Canada, quum hicce casus viatori accidit, mortuusque videtur, a comitibus statim cooperitur nive, atque sic tectus totam noctem manet, dieque crastino viam iterum capeßere plerumque potest. At si sensum tarde recuperare videtur, stramento eum circumdant, quod, quippe quia congelationis gradu complures gradus superius est, stimulus suppressas vitæ functiones resuscitando par invenitur. Atque hi sunt caloris imminuti diuturnioris effectus. In iis regionibus,

in

in quibus calor multum imminutus magnam anni partem dominatur, haud raro conspiciendi sunt homines, quibus nasus vel aures inde mutila facta sunt.

EXIMIUS ille physiologus Joannes Hunter docet, anno 1776, gelu intenso prævalente, cristas gallorum, quos possidebat ruri, læves factas fuisse, et dimidio angustiores, cum margine æquali; quasi eorum pars dimidia abscissa esset. Hujusce rei ratione explorata, a servo certior factus est, dum gelu-intensum prævalebat, in plerisque ruris partibus gallorum cristarum portionem mortuam factam decidisse. Hoc frigori attribuit, unde pars, quæ congelata est, vita privata delapsa fuit. Ut hanc opinionem confirmaret experimento, galli teneri cristam, in salis et glaciei mixturam, (cujus frigus o

thermometri indicabat), immerfam, congelare aggressus est. Crista ipsa, quippe crassa atque magna, congelari nequibat: at margines ejus ferrati, semidigitum crassi, prorsus congelati sunt. Albi durique facti sunt, et, parte resecta, nec sanguis erupit, nec animal dolore affici visum est. Deinde in eandem mixturam immerfit unam palearum, latam tenuemque, quæ facillime congelata est. Crista paleaque regelatæ iterum calefcere cæperunt, sed colorem purpureum retinuerunt, pelluciditate, quam altera palea habebat, deleta. Vulnerata crista sanguinem jam libere profudit; partesque congelatæ vix ante mensem fere præteritum sanuerunt, pristinumque colorem recuperarunt. Partes autem sanis proximæ primum integræ iterum factæ sunt. Idem quoque cuniculorum aures congelavit, quæ duræ rigidæque

rigidæque factæ sunt, et forfice sectæ in parva frustra abierunt. Ex iis regelatis sanguis erumpere cœpit, et, naturali vi refiliendi perditâ, adeo flaccidæ evaserunt, ut facile duplicari possent. Ex mixtura retractæ hora circiter postea recaluerunt, calorque haud parum augebatur. Inflammatae quoque crassiores factæ sunt, caloremque aliquot dies retinuerunt.

Ex hisce experimentis colligere possumus, partium actionem suspendi : galli enim crista, vel cuniculorum auribus, sectis, nullus sanguinis circuitus in iis deprehensus est, neque ejusdem profluvium accidit. Verum partis actio ita suspensa idonea cura ad sanitatem pristinam reduci potest. In Canada, ubi hujusmodi actio suspensa in manibus pedibusve occurrit, eam instaurare solent nive parti

affectæ infriçta, quippe quæ aëre, cui expositus erat homo, calidior est. Deinde aqua frigidissima applicatur, quicum conjungitur frictionis stimulus, quæ nive adhuc calidior est. Sic actione, quam caloris stimuli incrementum requirit, paulatim reducta, pars morbida ad pristinam sanitatem iterum redire potest.

AT si huic attentionem summam non adhibemus, calorque justum gradum excedit; pars in actionem rapitur inordinatam, vires ejus languidæ cito exhauriuntur, ipsaque moritur.

PHÆNOMENIS morbo, quem gelu intensum creat, propriis jam perpenfis, constat, eum gignere suspensam vasorum partis actionem, a caloris stimuli defectu pendentem. In tali casu
petendum

petendum est auxilium partis actione caute et paulatim restituenda, temperie sensim adaucta, donec calorem solitum perferre, vasorumque actionem, quibuscum connectitur, suscipere, potest, corpore ad pristinam actionem æquabilem tandem redacto. Si postulantur remedia interna, ea, quæ actionem imminuunt, sint, oportet. Namque si, ventriculo stimulado, intenditur cordis et arteriarum actio, gravior fit morbus; quicquid enim adauget diversitatem, quæ inter systematis universi partisque peculiaris actionem intercedit, nocet: namque ab hujusce actionis æquabilis æquilibrio restituto pendet morbi medela. Hinc, quando medendi methodum aggredimur, partis actionem majore caloris quantitate intendere, systematisque imminuere, oportet, ut partis actioni imminutæ respondeat, corporisque actio æquabilis

æquabilis restituatur. Si id non summa cura perficitur, sequitur *continuitatis solutio* ; quoniam pars haud amplius sanguinem per se vehit, ideoque moritur, et peculiari corporis actione a partibus sanis sejungitur, ut in quovis sphaceli exemplo aliunde derivato accidit. Ex supra dictis concludere licet ; *Quum partis actio, stimulo quovis solito subducto, multum sit imminuta, applicationem ejusdem stimuli, (vel cujusvis alius in ejus locum suffecti), caute fieri debere, donec pars paulatim ad pristinam sanitatem sit redacta.*

SECUNDO ;

SECUNDO ; DE CALORIS SUPRA CONGELATIONIS
PUNCTUM EFFECTIBUS ; VEL
DE AMBUSTIONE.

POTESTAS sese tuendi, qua animalia sunt præ-
dita, eorundem perfectioni respondere videtur.
Quomodo animalia frigoris actioni resistere pos-
sint, supra monstravimus ; et experimenta, quæ
Blagden, Solander, et vir ingeniosus ac eruditus
Eques Baronettus Josephus Banks, instituerunt,
æque demonstrant, homines pari modo sub ar-
dore admodum intenso, etiam sub gradu ther-
mometri ducentesimo et sexagesimo, existere
posse : quod *potestas caloris incremento resisten-*
di nuncupari potest.

INGENIOSUS Abbé Chappennarrat, Russiæ inco-
las in balneis suis vaporosis sub gradu centesimo
et

et sexagesimo complures horas manere solere, unde statim sese in aquam frigidam præcipitant, et adeo non inde detrimenti aliquid capere, ut effectus optimos, cum in morbis sanandis, tum in iis arcendis, experiri soleant. Verum non mihi in animo est hic demonstrare vim resiliendi systematis, quæ mutationes caloris temporarias comitatur; at quales in corpus effectus subita caloris subductio, vel applicatio, exerat,—ut inde medendi methodus rationalis colligatur,—ostendere conabor. Pericula, a Joanne Hunter in crista galli et cuniculorum auribus facta, actionis et circuitus imminutionem suspensionemque ab imminutione caloris pendere, satis confirmare videntur.

Ut caloris effectum in sanguinis circuitum detegerem,

detegerem, in balneum vaporosum, quum arteriarum ictus 60 intra horæ *minutum* numerarentur, descendi. Dum ibi manebam, thermometri temperies inter gradum 100 et 116 erat. Quum aliquot horæ *minuta* in balneo commoratus essem, arteriarum ictus paulatim crebriores facti sunt; et, tertia horæ parte præterita, centum et triginta intra *minutum* numerari potuerunt. Hocce periculo sæpius iterato, non concludere non possum, actionem ad-auctam effectum caloris manifestissimum esse; porro hanc actionem, dummodo temperata et generalis sit, universo corpori impertiri: verum, si subita et valida est, vasa prius deleri quam actionem suscipere, eamque reliquo corpori communicare, possint. Ita fines vasorum, quæ modo muneribus suis functa sunt, corpora inertia fiunt, partibus eorundem vasorum vivis

annexa, quæ statim corporis processum requirunt, quo hæc separentur, corpusque ipsum actionibus denuo fungendo par evadat, nempe, secretioni et absorptioni, quas sani cutis manifesto peragit. At varii existunt gradus inter partis actionem læviter auctam ejusdemque destructionem: raro, enim, vel nunquam, occurrit injuria ubi partis textura deletur, quin partes eam inter integrasque sitæ in actionem intensiorem rapiantur.

HINC injuriæ, quas creat calor nimius parti peculiari subito applicatus, *injuriæ locales ab actione aucta pendentes* nuncupari possunt: et consilia medendi sunt; imo, Partis incitationem vel actionem imminuere; 2do, Systematis actionem adaugendo, partis actionis auctæ rationem observare, hac systematis lege in memoria

moria retenta, nempe, *cujusvis partis actione magnopere adaucta, partem adhuc, quamvis minus, incitandam esse, sive stimulo, qui actionem intendit, sive quovis alio ei simillimo, donec actio nimia ad statum sanum reducatur* *.

Quo consilio, partem prope ignem detinere optimum videtur: at quoniam sæpe læduntur corporis partes, quæ igni admoveri nequeunt, applicationes maxime stimulatrices adhibendæ sunt. Namque inter remedia stimulantia nullum forsan validius est eo quod malo originem præbuit; hujusmodi est *spiritus rectificatus* fortissimus, cujus opus oleis essentialibus augetur, et calefieri debet tantopere quantopere partes

C 2

fanæ

* Passim vide JOANNIS BRUNONIS *Elementa Medicinæ*, opus eximium, unde Medicinæ, tot sæcula arti prorsus conjecturali, et erroribus innumeris obumbratæ, tandem affulfit lux nova, mira, cujus ope medentis judicium, in morbis curandis et arcendis non amplius ut olim, incertum et inops consilii, demum viæ rectæ quodammodo insistere potest.

fanæ perferre possunt. Hæ multæque aliæ ejusdem generis applicationes auxilium præsentissimum et efficacissimum adferunt. Non diutius autem continuandæ sunt, alioquin ipsi malo, cujus fanandi gratia fuerant adhibitæ, postea originem præbere periclitentur : deinde in earum subeant locum remedia minus stimulantia, donec partes stimulis solitis incitari possint.

INTERNE administranda sunt quæ corpus in actionem vehementem celerrime rapiunt, cujusmodi sunt æther, *spiritus ardens*, opium, vinum, &c. quorum ope *continuitatis solutionis* moræ occurritur, actionisque uniformitas, unde pendet medela, restituitur. Curationem, ab hisce principiis pendentem, justam esse, eventus, ut spero, medendi methodus satis confirmabit.

Si quæ supra scripta sunt de caloris effectibus vera inveniuntur, partium adustarum curatio a lege sequenti pendebit, nimirum, *cujusvis partis actione magnopere adaucta, partem adhuc, quamvis minus minusque, incitandam esse, sive stimulo, qui actionem intendit, sive quovis alio, ei simillimo, donec actio nimia ad naturalem redeat.*

PERPENDATUR mali causa, nempe caloricum liberum, omnium, qui nobis innotescunt, stimulorum fortissimus. Si hoc admittitur, stimulus quivis fortissimus feligendus est, et quo magis ad eum appropinquamus, qui malum creavit, eo melius est: quamvis etiam is justo diutius protractus noxæ esse possit. Sic, primum applicandus est *spiritus ardens* fortissimus, et, ut effectum certiorum præbeat, ad eum gradum calefactus quem pars sana impune

impune tolerasset. Postea paulatim diluendus, calorque pari modo imminuendus, est ; frigus enim semper nocet, et eam ad horrorem proclivitatem inducit, adversus quam summa cura cavendum est, quoniam symptoma perniciosissimum, febrisque sympatheticæ prænuncium, est. Cui ad occurrendum, calor externus magnus sit, totiusque corporis actionem tantopere incitare debemus, quantopere ægri falus perferet. Sic universi corporis actio partis actioni adauctæ respondebit, unde actio localis aucta facilius imminuitur, et totius corporis actio equabilis denuo redintegratur. Eodem itaque tendunt remedia cum interna tum externa, et opere conjuncto actionis uniformitatem tandem reducant. Respondebis, hoc solum fieri quando actio intenditur ; verum, partibus deletis, deinde ad
alia

alia remediâ decurrendum est, cujusmodi sunt emollientia, &c.

QUIDAM scriptores partes adustas in complures species distinxerunt; eas vero in duas dividere mihi optimum videtur: unam, nimirum, ubi solum augetur partis actio; alteram vero ubi quarundam partium intenditur actio, aliarumque textura prorsus deletur.

PARTIS cujusvis textura prorsus deleta, quid parti mortuæ applicetur, nullius momenti est; namque materie mortuæ separatio a partium vivarum actione, non a remediis parti mortuæ applicatis, pendet. Verum profitendum est, me nunquam partis adustæ exemplum vidisse, ubi, etiam si quædam partes prorsus fuerint deletæ, non semper fuerunt aliæ quarum

rum actio solum aucta est. Et quoniam partes vivas fervare semper necessarium est; in primo casu eadem est methodus medendi, i. e. partes, quarum actio solum intenditur, fervare; quo factio non retardatur partium mortuarum separatio, quæ temporis progressum requirit; et, si injuria late patet, omnes corporis nifus elicit, etiamque febrem vehementem incendit, quæ omni auxilii genere eget, ut suppuratio promoveatur, alioquin succumberet æger. Namque si partes vivæ mortuas a se separare nequeunt, hæ illas sibi assimilabunt, sphacelusque sequetur.

SERVATIS partibus vivis, quod hac methodo observata bidui vel tridui spatium fieri potest, partes mortuæ magis conspicuæ fient, et separari incipient. Hicce processus promovendus est

est corporis vigorem sustinendo, remediis stimulantibus et cibo nutrienti adhibitis. Eodem quoque tendit caloris stimulus, quem præbent cataplasmata sæpe iterata. Lacte et pane constare possunt, iisque inspergi debet spiritus camphoratus, vel quodvis oleum essentielle. Hæc solum continuanda sunt donec incipiat suppuratio, tumque diversæ viæ insistendum est.

ITA pristina methodus partes adustas tractandi prorsus mutata est. Quum hujusmodi casus occurreret, remedia lenissima, tam interne, quam externe, adhibita, et, donec accesserit suppuratio, continuata, sunt. Deinde excitatum est systema, ut debilitati occurreretur, atque sic interdum adeo defatigatum est

ut febris hectica arcessita fit. Huic contraria est tractatio hodierna ; namque ubi quævis pars nimis excitata est, quiescere ob stimuli defectum non permittitur ; sed stimulus pro rata parte major applicatur, qui paulatim imminuitur, donec ad actionem solitam redeat. Eodem consilio remedia interna universum corpus, quod tempore, quo accipitur injuria, sanum esse putandum est, valide stimulant. Universi systematis actione validis stimulis adaucta, partisque stimulorum defectu imminuta, consilium medendi certissime implendum, five actionis æquilibrium redigendum, est. Si quævis corporis pars deleta est, hoc fieri non potest, ut supra dixi, quin quarundam aliarum systematis partium actio intendatur. Harum partium vivarum sanatio primum attentionem vindicat ;

vindicat; atque hæc medendi methodus partium mortuarum separationem promovebit, quo facto, et suppuratione fieri cæpta, nequaquam incitandum est systema aut cibo lauto, aut remediis stimulantibus. Si nimis puris fecernitur, mitia laxantia victusque tenuis indicantur. Si cujusvis partis, puta oculorum, debilitas adest, ad inflammationem proclivitate simul præsentem, sanguinis detractio topica, vel modica e brachio quantitas subducta, auxilio sunt. Oleum camphoratum, vel ejusdem et aquæ calcis partes æquales, cutem novam teneramque, quæ formatur, ab injuria optime defendunt. Hujus generis ulcera, quum puris nimiae secretioni diæta idonea adhibita occurratur, celerrime sanantur. Si ægri vires sustinendæ sunt, corticis doses par-

væ, bis vel ter in die ex lacte assumptæ, eo confilio adhiberi possunt; sanguinis enim circuitum, eodem modo ac vinum, cerevisia fortis, vel *spiritus ardens*, non accelerare periclitantur.

SUPPURATIONE cœpta, a stimulantibus externis internisque abstinendum est; et tunc diæta blanda nutrienisque adhiberi debet. Si irritatio ab injuria facta, et ab inidonea curatione protracta, in parte induxerit actionis vehementis habitum, nimia puris secretionem ægrum vexantem; huic obviam eundem est irritatione contraria, purgantium drasticorum, identidem administratorum, ope, inducta. Sic irritatio localis sublevari, habitusque pravus turbari, possunt.


HUJUSMODI

HUJUSMODI curatione adhibita, affirmare possum, me plurimas aduersiones, latissime patentes, et aliter forsan immedicabiles, intra unam, duas, tres, quatuorve hebdomadas sanasse, quæ, ut olim tractatæ, vix intra totidem menses ad salutem reversæ fuissent.



EDINBURGI,—EXCUDEBANT JAC. PILLANS ET FILII.

The most common addition, affixing the
 name, the place of residence, latitude and
 longitude, or other particulars, in the margin,
 and, thus, giving the reader the opportunity
 of seeing, at once, the place, and the
 the addition, is the most common.



LONDON: PRINTED BY J. JOHNSON, ST. PAUL'S CHURCH-YARD.



